



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

**De Judiciis Ecclesiasticis Ad Germaniæ Catholicæ  
Principia Et Usum**

De iudiciis civilibus

**Zech, Franz Xaver**

**Ingolstadii [u.a.], 1765**

Titulus IX. De Transactionibus.

---

[urn:nbn:de:hbz:466:1-68163](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-68163)

tutione contra ejusmodi alienationes actum est 87.).

## TITULUS IX. DE TRANSACTIONIBUS.

*Conf. Decretal. Lib. I. Tit. 36.*

§. 106.

POSTQUAM compertum habemus, *Transa-*  
coram quo Judice conveniri Ad-*ctio*,  
versarius possit; non tamen temere  
tentanda est periculosa Processus Ju-  
diciarii alea: indaganda potius via  
pacifice componendi Controversiam.  
Familiaris modus sopiendi litem, est  
per *Transactionem*, quæ dicitur Con-  
venta Decisio rei dubiæ & contro-  
versæ, aliquo dato, aliquo retento:  
seu

---

87.) De Foro competenti. videri possunt  
omnes Interpretes Juris Canonici &  
Civilis in utriusque Juris Titulos Con-  
cordantes. Præter hos loco plurimo-  
rum possunt esse FELICIANUS de Oliva  
de Foro Eccles.

P. MELCHIOR FRIDERICH Tract. de Fo-  
ro Compet.

Card. DE LUCA de Jurisdic. & Foro  
Compet.

seu est non gratuita rei dubiæ decifio, facta conventionem partium, scilicet per pactum vel stipulationem. Quamvis Judex possit suadere, compellere tamen regulariter non potest partes litigantes ad Transactionem, nisi quies publica exigat, ut una pars cedat aliquo jure suo.

*Aquibus,* §. 107. Cum Transactionis sit species alienationis, non potest iniri ab iis, qui liberam rerum administrationem non habent, quales sunt Pupilli & Minores absque autoritate Tutoris, vel consensu Curatoris: Procurator ad agendum vel defendendum datus, vel Procurator Principis 88.) , absque speciali Mandato: Prælatus Ecclesiæ sine solennitatibus pro casu, quo alienatio esset prohibita & noxia: Pater de bonis filii Castrensibus, quasi Castrensibus aut adventitiis saltem irregularibus, absque consensu filii, si justæ ætatis sit 89.): Minores, qui non habent Curato-

---

88.) *Nulli Procuratorum Principis, inconsulto Principe, transigere licet.* L. 13. ff. de Transact.

89.) L. ult. §. 3. C. de Bonis, quæ Liberris &c.

ratores, possunt transigere, sed probata læsione restituuntur in integrum. Procurator in rem suam constitutus, sive cui cessa aut mandata est actio, transigere cum Adversario potest, cum domini loco habeatur, ut magis in propria causa, quam aliena transigere videatur: ut etiam Procurator, cui generaliter libera bonorum omnium administratio commissa est. Item Tutores & Curatores, si jus pupillorum & Clientum obscurum & valde dubium sit, interposito tamen Judicis decreto, si res immobilis, aut mobilis pretiosa 90.) in Adversarium transferenda sit. Vasallum posse de Feudo transigere, & Dominum directum debere transactionem ratam habere, dummodo fraudulentum actum non sit, eruitur ex Legibus Feudalibus 91.), præcipue si Dominus directus eum defendere in Judicio noluerit 92.).

§. 108. Objectum Transactionis *Et de quo*  
I est

---

90.) Juxta L. 22. C. de Administrat. tut.

91.) C. un. de Controv. inter Vasall. & alium de Benefic.

92.) C. un. Si de feudo Vasallus &c.

*De Judiciis.*

*objecto*

130

*Sect. I. Tit. IX.*

est Res dubia aut controversa: talis censetur ob metum litis imminantis; manetque talis post latam pro una parte sententiam definitivam, quamdiu locus datur Appellationi vel si concessa sit restitutio in integrum. Idem sentiendum, si non ratione litis, sed alia ratione res dubia & incerta sit: velut si spes fidei commissi conditionalis pro modica portione præsente remittatur 93.), vel si homini honestioris loci salarium annuum, vel usus fructus relictus fuerit, Transactio sine Prætoris fieri poterit 94.). Putat quidem ZOESIUS 95.), rem dubiam ex alia causa, quam propter litem, non esse Transactionis materiam, cum Transactio sit rei dubiæ propter litem conventio: sed Lex ab eodem allegata dicit, transigi *de re dubia & lite incerta* 96.): ex qua non firma fit conclusio, requiri simul dubium & litem. Si autem nec  
dubia

---

93.) L. 1. C. de Pactis. L. II. C. de Transact.

94.) L. 8. §. 23. ff. de Transact.

95.) Ad tit. ff. de Transact. n. 14.

96.) L. 1. ff. ibid.

dubia nec controversa res sit, Transactio nulla est. Unde si Administrator, cui Dominus pecunias pro expungendis certis debitis dedit, cum Creditoribus transigit de minori summa, reliqua parte pro se retenta; Transactio hæc irrita est, utpote de re nec dubia, nec controversa. Administrator autem committit crimen Stellionatus, merito puniendus. Similiter locum Transactio regulariter non habet super Re judicata aut jurjurando decisa, Instrumentis garantigiatis, confessione Judiciali &c.

§. 109. Res controversa, de qua *Iniri* potest agitur, debet esse in Transigentium *fit?* potestate. Unde non valet Transactio de Beneficiis Ecclesiasticis absque autoritate Ecclesiastica. Si tamen *gratis & amicabiliter inter se litigantes componant, Sacris Canonibus nequaquam dicimus obviare 97.*) Item transigi non potest super Matrimonio iterum dissolvendo; obstat enim ejus indissolubile vinculum. Volunt etiam Leges, de controversiis ex testamento ortis non aliter recte transigi, quam inspectis, cognitisque verbis testamenti

I 2

menti

---

97.) C. 7. de Transact.

menti 98. ), tum ne qui testamenta studiose occultant, iniquum lucrum inde capiant, tum ne supremæ hominum voluntates per hujusmodi Transactiones circumveniantur. Quando alibi 99. ), dicitur, de iis, quæ testamento relicta sunt, sine Judice transigi non posse, non innuitur, quod ipsa transactio auctoritatem Judicis desideret, sed quod fieri non possit ante apertas & publicatas tabulas, quod apud Judicem fieri solet. Si quis autem donationis causa, & pactione gratuita de controversiis ex testamento profectis etiam ante inspectas tabulas pacisci, & litem gratis remittere velit, nullæ leges videntur obstare. Quamvis Transactio super relictis in testamento regulariter fieri possit absque auctoritate Judicis, hæc tamen requiritur, si transigatur super alimentis futuris: Judex enim solet *intervenire, & inter consentientes arbitrari, an transactio vel*  
*que*

---

98.) L. 6. ff. eod. & aliis concordantibus locis.

99.) L. 1. §. 1. ff. Testam. quemadm. aper.

que admitti debeat 100.) , facta cognitione: imprimis de causa transactionis , dein de modo , tertio de persona transigentium. Non autem protinus , quod in singulos annos relictum est , alimentorum contemplatione relictum intelligitur : si enim homini honestioris loci certa quantitas in annos singulos absque mentione alimentorum , relicta sit , honoris potius , quam alimentorum causa intelligitur relicta ; & ideo Transactio sine Præatore fieri potest , ut supra §. 108. diximus : sicut etiam fieri potest de alimentis præteritis , vel conventionem inter vivos relictis.

§. 110. Singularem doctrinam dant Leges Romanæ ex Rescripto Imperatorum DIOCLETIANI & MAXIMIANI I.) circa Transactiones in Causis criminalibus. Prima ejus Rescripti pars admittit Transactionem de Crimine Capitali, scilicet ut & Reo liceat etiam

Transactio in Causis Criminalibus ,

I 3 cum

100.) L. 8. ff. De Transaction. ubi ULPRIANUS ex oratione MARCI Imperatoris , totam hanc materiam plene & dilucide tractat.

1.) L. 18. C. eod.





cum pretio pacisci, & Accusatori  
 coeptam accusationem deferere acce-  
 pta pecunia. Nam proprie quidem  
 nulla Transactio est, nisi de re fami-  
 liari, & quam quisque ut ad se per-  
 tinentem, remittere potest. In causis  
 autem Criminalibus species aliqua  
 Transactionis permessa est, intuitu  
 miserationis, quod Principes igno-  
 scendum censuerunt ei, qui sangui-  
 nem suum quocumque modo redem-  
 ptum vult. Per hoc tamen publica  
 disciplinae vigor non patitur, nec  
 delicta manent impunita; nam per  
 talem Transactionem crimen non peri-  
 mitur, sed accusatio duntaxat: & reus  
 adhuc aliorum accusationi obnoxius  
 manet: imo ipse Judex ex officio in-  
 quirere potest ex sufficientibus indi-  
 ciis & legitimis argumentis 2.). Ad-  
 dunt Imperatores, *Excepto Adulterio*.  
 Si genuina est lectio totius Rescripti,  
 dicendum est, crimen Adulterii tunc  
 temporis fuisse Capitale; sed exce-  
 ptum a regula ob frequentiam flagi-  
 tii. Juxta alteram Rescripti Cæsarei  
 partem, *in aliis publicis Criminibus, que  
 sanguinis pœnam non ingerunt, tran-  
 sfigere*

---

2.) C. 24. de Accus. Inquisit. &c.

figere non licet; quia in his nulla tanta occurrit miserationis ratio, ut a tenore juris legumque severitate recedendum videatur. Clausula addita, *citra falsi accusationem*, diversas patitur interpretationes Autorum. Opus non est, ut his explicandis ultra immoremur, quia tota hæc lex hodie vix habet utilitatem: nam accusatoris locum obtinent Procuratores fisci, qui cum non incidant in pœnam talionis, si in probatione deficiant, non habent rationem transigendi cum Reis: condonare autem pœnam criminis solus Princeps potest.

§. III. Deprehendimus autem, Imperatores & Principes Germaniæ sæpe cum criminosis, ac etiam cum homicidis de pœna transigisse, crimenque accepta pecunia aut alia re, aboluisse. Imo ejusmodi Transactiones inter origines Feudorum oblato-*Dedit causam Feudi oblato-*rum numerantur. Sic Nobilis de Zi-*lati,* plingen, a Comite Ludovico Oettingensi ea lege a pœna Capitali absolutus fuit, ut Casum proprium Trochtelfingen illi Comitatus offerret in Feudum perpetuum: & Senatus ac Cives Nördlingenses ob Judæos & vivos

& mortuos male & crudeliter habitos, cum Comitibus Oettingensibus Ludovico & Friderico, Anno 1385. transactione inita, feudum aperturæ illis constituerunt 3.). Sic etiam Nobilis de Gültlingen Anno 1533. bona sua, quibus ob homicidium commissum privatus fuerat, in feudum prius oblata, recepit a Ferdinando Rege Romanorum, qui Würtembergiam, Ulrico Duci ablatam, ex beneficio Caroli V. Fratris tunc tenebat 4.).

*An rescindatur*

§. 112. Transactioni summam firmitatem Leges tribuunt, adeo ut nec per Rescriptum Principis impugnari rescindique possit 5.). Quæstio movetur, an more aliorum Contractuum

- 
- 3.) Refert hæc JENICHEN in Thesuro Juris Feudalis tom. 2. in Dissert. prævia de Feudis Oettingensibus fol. XXI. ubi promittunt Nördlingenses, *das ihre Stadt der Grafen von Oettingen offen Haus soll heysen und seyn.*
- 4.) Totam Transactionis formulam exhibet LEYSERUS ad Pandect. specim. 596. med. 8. Vol. 9. Ubi simile quid narratur de ditione Rechbergensi.
- 5.) L. 16. C. de Transact.

etiam rescindi possit, aut debeat ob  
 enormem læsionem? Vix apparet, læ-  
 sionem in Transactione probari posse:  
 cum enim causa supponatur dubia,  
 vel litigiosa; forte Titius per sen-  
 tentiam Judicis nihil obtinisset: qua  
 ratione igitur se læsum dicet, si sal-  
 tem partem, licet modicam per Trans-  
 actionem obtinuit? Nihilominus  
 habemus dispositionem Codicis pro  
 casu, si *adversus Transactionem in integrum*  
*Minor restitui velit*, cum autem Resti-  
 tutio, nisi probata læsione, non con-  
 cedatur; infertur, posse allegari,  
 & in Judicio probari læsionem ex  
 Transactione, quod aliqui eruunt ex  
 Lege 6.), quæ filix bona fide cum  
 patre transigenti tribuit actionem in  
 factum ob immodicam læsionem. Sed  
 verius est, rescissionem illam fieri  
 ob dolum patris, ex quo etiam pro-  
 pter modicam læsionem agi potest.  
 Nam bona fides, de qua ibi fit men-  
 tio, se tenuit solum ex parte filix:  
 actio tamen de dolo concessa non  
 fuit *propter paternam verecundiam*. Di-  
 cunt aliqui enormem læsionem æqui-  
 parari dolo, cum ex sententia ULPIA-

NI ipsa res in se dolum habeat 7. ),  
consequenter Transactionem æque  
propter enormem læsionem, ac pro-  
pter dolum rescindi posse. Sed hæc  
interpretatio sententiæ ULPIANI susti-  
neri non potest; nam dolus qualita-  
te facti, non quantitate pretii æsti-  
matur 8. ).

*Ob enor-  
mem læ-  
sionem?*

§. 113. Aliqui existimant, quando  
ex allegata Rubrica Codicis Restitu-  
tio Minori datur; ob favorem mino-  
ris ætatis pro deprehendenda læsione  
respici tempus subsequens, quo con-  
stat de habito Jure Minoris, cum  
alioquin ad rescindendum contractum,  
solummodo respiciatur tempus con-  
tractus, quo tempore facile conce-  
dunt, non dari læsionem ex Transa-  
ctione. Verum hæc interpretatio ar-  
bitrarie conficta est; & absque ratio-  
ne subruitur fundamentum, cui inni-  
titur rescissio contractus, scilicet læ-  
sio considerato solo tempore contra-  
ctus orta. Mihi videtur, læsionem  
ejusmodi contingere, si quis incon-  
sulta quadam facilitate transigit, quan-  
do

---

7.) L. 36. ff. de V. O.

8.) L. 10. C. de Rescind. Vend.

do dubium facillime posset evolvi, ut  
eventus moraliter fieret certus: vel  
si quis ignoret quantitatem summæ,  
de qua esset transigendum. E. G.  
transigit Titius de hæreditate, quam  
credit ascendere ad mille, & inde ob-  
tinet quingenta: postea cognoscit,  
hæreditatem continere tria millia: læ-  
sum se graviter conqueri potest, cum  
ex forma Transactionis factæ appa-  
reat, eum per Transactionem sibi ob-  
tinere voluisse medietatem hæredita-  
tis controversæ. Si autem scivit, hæ-  
reditatem æstimari tribus millibus, &  
tamen transegit de quingentis, rescis-  
sio aut restitutio locum non habebit.

§. 114. Similiter Transactio firma  
permanebit, etiamsi ex instrumentis  
postea repertis eluceat, uter revera  
melio- rem causam habuerit: modo  
tempore Transactionis utrinque bona  
fide actum sit. Sic combinari possunt  
Leges, quæ sibi videntur oppositæ.  
In una 9.) supponitur, quod hæres  
ejus, qui post mortem suam roga-  
tus erat universam hæreditatem resti-  
tuere, minima quantitate restituta,  
in reliquum fidei commissi nomine  
con-

*An ob In-  
strumenta  
postea re-  
perta?*

---

9.) L. 78. §. ult. ff. ad S. C. Trebell.

conveniri non possit, si postea reper-  
tis instrumentis apparuit, quadruplo  
amplius in hereditate fuisse. Econ-  
tra juxta aliam legem 10.), Transac-  
tio de his tantum, de quibus inter  
convenientes placuit, interposita  
creditur: unde qui ignorans univer-  
sa, quæ in vero erant, transigit, non  
tam paciscitur, quam decipitur. Sci-  
licet in casu prioris Legis intercede-  
bat bona fides paciscentium: in alte-  
ro læsus ponitur ignorasse veram  
quantitatem *per fallaciam coheredis*.  
Transactio igitur retractari potest,  
quæ ex falsis instrumentis interposita  
est, cum quis videlicet falsis instru-  
mentis ab Adversario prolatis, horum  
metu inductus transigit 11.). Ex  
his resolvitur Casus 12.), ubi Vale-  
rius de summa quadam pecuniæ tran-  
sigit cum Flacco, permotus autori-  
tate instrumentorum, quæ quinque  
post annis falsa fuisse cognoscit. Trans-  
actio censetur valida, si Flaccus bona  
fide Instrumenta exhibuit: potuisset  
autem

---

10.) L. 9. §. 1. & 2. ff. de Transact.

11.) L. 42. C. eod.

12.) Apud JOAN. AURPACHIUM *Epist.*  
*Jurid. lib. I. epist. II.*

autem peti restitutio in integrum, quæ tamen quadriennio expirat.

§. 115. Vulgata Juris doctrina est, *An extendatur ad non cogitata?* Transactionem esse stricti Juris, nec extendi ad ea, quæ tempore conventionis cogitata non sunt. Usui hæc doctrina frequenter est apud Administratores pecuniæ publicæ: qui dum rationes eorum in multis articulis non prorsus liquide deprehenduntur, sæpe Transactionem cum Fisco ineunt, & plenam liberationem (Eine Hauptquittung) impetrant. Dubium inde oritur, an talis Administrator, vel ejus hæres conveniri possit, si nova debita retractatis Rationibus emergant? Perpendenda sunt verba, magis autem mens transigentium, an scilicet respererint solum ad articulos illiquidos, an vero ad integras rationes, & ea omnia, quæ inde in contro versiam quocumque tempore trahi possent. Varie sentiunt Autores 13. ). Id certum videtur, ejusmodi Transactionem generalibus verbis conceptam, habere  
pro

---

13.) Plenæ liberationi magis favent ea quæ refert SCHILTERUS in Prax. Jur Rom. in for. Germ. tom. 1. Exercit. 9. fol. 305. seqq. Econtra LEYSERUS



pro se præsumptionem plenæ liberationis, donec probetur contrarium. Ex qua ratione non est ferendus, qui generaliter in his, quæ testamento ei relicta sunt, transegerat, si postea censetur de eo solo cogitasse, quod prima parte testamenti, ac non etiam, quod posteriore legatum sit, quia præsumitur totum legisse 14. ), si autem probetur, mentem transigentium non respexisse ad plenissimam liberationem, Transactio tamen non rescinditur; Sed cuilibet transigentium saluum manet jus suum circa ea, de quibus in Transactione cogitatum non fuit. Sic quando socii transigunt, ut unus mercibus omnibus retentis, alteri certam pecuniæ summam exsolvat: repertis postea nominibus quibusdam, quæ in Inventario omissa fuerant, Transactio manebit immota; socius tamen, qui pecuniam accepit, partem suam adhuc petere potest de nominibus nunc emergentibus. Huc pertinet

---

spec. 46. med. 9. Transactionem, etiam generalibus verbis conceptam, non extendi censet ad ea debita, de quibus tempore Transactionis cogitatum non fuit.

14.) L. 12. ff. de Transact.

tinet Decisio Codicis 15.) : Si de certa re (id est, de una quadam re pacto Transactionis interposito, hoc comprehensum erat, NIHIL AMPLIUS PETI ; etsi non additum fuerat, EO NOMINE ; de ceteris tamen questionibus integra permaneat actio.

§. 116. Obligatio ex Transactione cessat, sublata causa, propter quam Transactionis fuit inita. Exemplo sit casus ille 16.), ubi Titius in testamento liberos suos hæredes scripserat, viduæque suæ 1000 legaverat, adjecta pœna, ut si testamentum impugnaret, legatum perderet. Lite inter viduam plus petentem, & liberos tantam summam negantes orta, transigitur tandem, & ab utraque parte, promissis viduæ mille, liti renuntiat. Nihilominus Vidua testamentum impugnat, & atroces in defunctum testatorem injurias evomit. Judicatum fuit, dictam summam in Transactione promissam non posse a vidua exigi: cum enim Transactionis illud ipsum jus, quod viduæ ex testamento competebat, pro fundamento haberet,

Cessat  
cessante  
causa.

---

15.) L. 31. C. eod.

16.) Apud LEXSER, Specim. 47. med. 7.

ret, corruente per impugnationem testamenti, & atroces injurias hoc fundamento, pactum quoque superstructum corruerat.

*Differt  
ab am-  
cabili  
composi-  
tione.*

§. 117. A Transactione non multum differt amicabile compositio; nam etiam in hac neutra pars omne suum jus vult remittere, alterique cedere. Talis amicabile compositionis famosa occasio præbetur in Instrumento Pacis Osnabrugensis 17. ), juxta quam in causis Religionis, omnibusque aliis negotiis, ubi Status tanquam unum corpus considerari nequeunt, ut etiam Catholicis & Augustanæ Confessionis Statibus in duas partes euntibus, sola amicabile compositio lites dirimit, non attenda votorum pluralitate &c. Ire autem in partes Catholici & Protestantes censentur 18. ), quando Catholici *omnes* ex una parte, rursusque *omnes* Protestantes ex altera, contraria sentiunt, nec a sententia sua se dimoveri patiuntur. Ne autem Catholici, qui numero Votorum in Comitibus semper prævalent, pertrahendo ad suam  
sen-

---

17.) Art. V. §. 52.

18.) Sic loquitur HENRICUS Medit. da

sententiam unum aut alterum ex Protestantibus, Ictionem in partes impedire possint, opportunum se invenisse remedium Protestantes credunt, dum inter se votum commune Evangelicorum, ut vocant, in suo separato cœtu constituunt, antequam rem patiantur in plenis Comitiorum Senatibus ad communem deliberationem trahi: censent enim, neminem suorum a Decreto in cœtibus Protestantium per Majora formato, facile recessurum, & in publico Senatu Catholicis suffragaturum. Hoc stratagemata anno 1761. eo deduxerunt, ut Ictionem in partes constituere voluerint per Majora Conventus a Protestantibus Legatis Ratisbonensibus habiti, licet multi Legati Protestantes huic Conventui interesse noluerint, & etiam in publico Senatu contra ejusmodi Conclusum commune protestati sint, ne suorum Principum jura gravissimum paterentur præjudicium, si eorum libera suffragia in Senatibus viri-

K

tim

---

Instrum. Pac. specim. V. fol. 652. seqq.  
Illust. D. Baro de ICKSTATT Tom. 2.  
opusc. 3. De Causis Religionis a Jure  
*De Judiciis.*

tim danda impedirentur. Unde etiam ejusmodi Conatus quorundam Legatorum Protestantium gravissimis Imperatoris Literis repressus est 19.) Nostri instituti non est, ut plura de his rebus scribamus. Dolemus, quod Germaniæ Pax non aliter firmetur, nisi per amicabilem compositionem in articulis & circumstantiis, ad fovendas discordias aptissimis, ubi singulorum pertinacia omnem amicæ conventionis spem elidit.

TITU.




---

Suffragiorum Majorum exceptis. Et opusc. 4. De Causis, in quibus Status Imperii in partes eunt.

19.) Neue Staats-Canzley part. 7. cap. 1. Præter Commentarios in Concordantes Titulos Decretalium, Pandectarum & Codicis, legi de Transactionibus possunt  
 SCHILTERUS Prax. Jur. Rom. Exercit. 9.  
 LEYSERUS specim. 46. seq.

VINNIVS Tract. de Transactionibus.  
 GERARDUS NOODT de Pactis & Transactionibus Liber singularis.